

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 62. (Neovidensis 1807. Nro. 59.)

*Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.*

Elysium-- Meum.- Die Martis 4. Augusti 1807. (Neovid. 21. Iull.)

Saeculo 18 renasci cœperunt: infortunia Atridarum,
flagitia Egistarum, Clytemnestrarumque, solia
Regum magis stipabant cruentæ caedes, quam
successio bonorum.

Mr. de Fr.

Confabulantes umbrae:

Methra, et Helle.

Helle. Jamne reverteris, confecto per
orbem superiorem itinere? Benigna Methra!

Methra. Assumpta forma luscinae illuc
volavi, et vidi iniquitatem temporum.

Helle. Quid sibi volunt isthaec verba?

Methra. Vidi cruenta solia saeculi 18, quod optima populorum consilia in transversum egit. Immanitatem hanc objecit Europa septemtrionalis Australi, at non saevitne magis septentrio? Res gestae testantur.

Helle. Vis dicere, te ubique corruptelam morum reperisse.

Methra. Peto veniam, ad Austram mitiores spirant venti. Sed aurea redeunt tempora, novus cuditur politicus ordo, qui Europam bello fessam magis conjungat. In promptu jam sunt omnia.

Helle. Exempli causa.

Methra. Dilecta Helle! Bellum sequens, veni ad Nemenum, volui ibi conquiescere, et svave carmen modulari; Verum vix reperi arborem, ita Mars omnia prostravit; Interim in vicinia Chronopolis repente observavi horridum bellum esse mutatum in jucundum murmur. Animadverti coronatos bellatores sibi dextras porrigentes, loquentes de induciis, et illico de conclusa pace. Tunc fluxit mellifluum ab ore meo melos.

Helle. Vidistine etiam Fridericum Wilhelmum III. Regem Borussiae?

Nethra. O quantum commemorasti nomen! narrabo, quae de illo circumferantur, vacuas praebeto aures! — Tantum in adversis elucet virtus; Illi solummodo merentur existimationem, qui variis fortunae fluctibus jactati animi magnitudinem servant. Vix fuit unquam infelicioꝝ Rector Friderico Wilhelmo III. Intra hebdomadam splendidum amisit Regnum, una pugna eum omnibus prope modum viribus exuit. Coactus est fugere e suis provinciis, Et tamen ille tam fortis, tam probus, tam constans est, uti ejus Majores, qui Borussiae amplitudinis fundamenta jecerunt. Quamvis ita infelix sit, omnis tamen, etiam inimicus eum demiratur. Justus est Imperans, et bono communi suorum subditorum semper intentus. Fidem datam sancte servavit. — — At Ministri! ille est expertus doli, sagacis ingenii, et judicii recti. Infortunium illi tempus adtulit, quam autem exhibuit constantiam, ex veris profluxit principis. Rex noster, ajunt fideles Borussi, ubique praesto erat, ubi maximum imminabat periculum; qui eum meticulosum dicit, abjecti est animi! Ita loquuntur milleni, et si aliquando meliora venerint tempora, tunc ille fiduciam suam collocabit in perspicacia, meritis, probitate, et fidelitate, quae ipsum iterum magnum facient, ac potentem.

Helle. O Amica! vehementer commoves animum meum. Nos quoque fuimus infelices.

Methra. Propius dein accessi ad Regem, et deflevi ejus sortem; Repente novum argumentum attentionem in me excitavit. Ordo diurnus in castris Stetinensibus 10. Junii vulgatus tristem mihi suppeditavit cogitandi materiem.

Helle. Quid? ordo diurnus Stetinensis? Ille, ut puto, continet pacem.

Methra. Minime gentium; continuationem belli cum Svecia, et pertinet ad politicas res gestas Regis Sveciae explicandas; En ejus sententiam: Agmen magni exercitus observando hosti destinatum, debet cuidam aggressioni obviam procedere. Ingredietur Svecicam Pomeraniam.

Die 18. Aprilis initae erant induciae cum Svecia Schlatkovii ea conditione, ut post edictionem durent adhuc 10 diebus, quod tempus Generales collatis consiliis ad 30 dies extenderunt addito separato articulo, qui 29 ejusdem mensis Stralsundae subscriptus fuit; qua de re nulla suborta est difficultas usque ad Regis adventum; Hic in Pomerania comparens assumpto imperio in suum exercitum declaravit se tantum 10 dies observaturum post solutas inducias. Eodem tempore res ejus navalis ad Colbergam sita, nulla habitatione induciarum hostilitatis actus exercuit adversus Gallos, eorumque foederatos, lo-

cum illum oppugnantes. Hinc enatae sunt inter Generales scriptae declarationes, et ad componendas dissensiones evocavit me Rex Sveciae ad suum territorium, Schlatkovium.

Credens renisum Regis, qui Principio mala portendebat, inde proficisci, quod ipse solus velit sua negotia curare, et pacis conditiones proponere, veni die 4. Junii Schlatkovium in comitatu 5 vel 6. Officialium majorum, totidemque gregariorum. Executor mandatorum Suae Svecicae Majestatis mihi significavit, Regem absque omni ferme praesidio esse, ejusque lateri paucos adhaerere. Appropinquans ad domum, in qua Rex morabatur, foris nullas observavi vigilias, intus autem in Aula stantem turmam equitum. Cumque solus cum solo Rege constituerer, exposui motiva habiti tractatus, at ille involans in mea verba declaravit ratione temporis induciis adjecti ejus voluntatem esse immutabilem, et sic imperiose abruptit omne tractandi argumentum.

Sed enim cum indignatione intelliget Europa, violata fuisse tunc jura belli, et honoris. Ausus est, gallico Generali, quo in munere constituti praecipui sunt subditi Napoleonis Imperatoris, proponere, ut suum dominum, et patriam proderet; Ausus est illum provocare, ut pro parte Angliae infamia sequeretur vexilla nonnullorum vaga-

bundorum, qui pro felicitate, et gloria suae patriae nullo sensu moventur. Colloquio hoc nil aliud est confectum, quam Regem Sveciae adhaerere his peregrinis, illisque vel le immolare emolumenta suae nationis.

Ex hoc tempore prosequitur hostilitates ad Colbergam, novas exercuit ad ostia Tra- vae, ex Anglia accepit pecunias, et milites, omnesque, quos poterat desperatos, et fugi- tivos congregavit, atque fidens jam suis viri- bus die 30. Junii edixit inducias 10 dierum, et quidem eo tempore, quo illi novae dispo- sitiones Russiae, et Borussiae notae esse po- terant.

Quapropter iterum manus conseremus cum Svecia die 13. Julii, quod quidem jam prius facere nobis integrum fuisset, facta enim Regis Sveciae manifestam continent laesio- num seriem; At nostri Imperantis ea est in- doles, ut non minus emineat ingenio, et operi- bus, quam moderatione, et magnanimitate. Hunc agendi modum Europa aestimabit, nos- citque illos, qui bellum in saecula protende- re volunt.

Gallicae, et foederatae copiae concerta- bunt de disciplina, et fortitudine, non obli- viscentur se videri ab Imperatore Napoleone; ego vero persvasissimum habeo nos factis no- stis plenam ejus approbationem merituos.

Mareschallus Brünne.

Biographiae.

Helle. Athamantis Regis Thebarum, et Nepheles filia. Ejus noverca Ino incredibili in eam, ejusque fratrem Phryxum odio ferebatur; Nephela sollicita, ut imminens periculum avertat a suis prolibus, svasit iisdem fugam, tradiditque aureum arietem, qui eas ex consilio Deorum in Colchidem transferret, verum Helle in mare decidit, marique nomen fecit, quod etiam ab ejus nomine Hellespontus dicitur.

Methra. Erisichtonis Thessali filia; Hanc infelix pater vendidit ut mancipium, ut inde collecta pecunia posset insatiabilem famem explere. Neptunus ejus amoribus captus, contulit ei donum in varias se convertendi formas; Hoc illa usa est ex amore patris in ejus commodum. In diversa se transformavit animalia, quae pater vendebat, illa vero semper donum redivit.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, praeter complures alios, libri venales prostant:

Diarium Comitiorum 1805. cum Actis &c. Latine, & Hung. 2 fl. 30 xr.

Articuli Comitiorum Anni 1805. 20 xr. compact. 24 xr.

Oraison funèbre de très haute, très puissante
 et très Excellente Personne Marie Thérèse
 Caroline Josephine, Impératrice d'Autriche,
 Reine de Hongrie et de Bohême. in 4to 20 xr.
 Joannis (P. Fr.) Stimulus Compunctionis
 et soliloquia. Editio novissima caeteris
 emendatior. Accedit brevis Vitae Aucto-
 ris epilogus, cura, et studio Fr. Ildefonsi
 a S. Aloysio ejusdem Ord. in Etruria.
 Denique R. P. Bouhours Cogitationes
 Christianae pro singulis mensis diebus in-
 terprete G. A. Belnay. 8. 1805. 45 xr.

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Lui-
 szianai Pusztákon. Kötve 45 kr. Posta
 papiroSra 2 fl. Fényes papiroSra 4 fl.

Seneca Christianus, id est, Flores Christiani
 ex L. Annaei Senecae Epistolis collecti, et in
 XXXVIII Capita digesti. Accedit Paraenesis
 ad Nobiles Juvenes ex Ephebis egressos: 8.
 maj. venalis prostat Pos. 20 xr. in chartascrip-
 toria 30 xr.

Opus hoc singulare non potest commen-
 dari satis. Melius quid frustra ab religiosissi-
 mo etiam Asceta exspectaveris. Passim ad to-
 lerantiam injuriarum, sui demissionem, ac
 despicientiam inducit; vitae fragilis brevitatem
 ob oculos ponit; ad charitatem ac pacem cum summis infi-
 misque conservandam invitatur; mortis meditationem commen-
 dat; ad frequentem eamque quotidianam conscientiae discussio-
 nem hortatur; ad pauperiem, ceterasque corporis asperitates
 forti pectore exantlandas incitat; vitiorum, cumprimis autem
 ventris et gulae irritamenta; iracundiae aestum; avaritiae sor-
 des; fastum ac philautiam, pessimas mortalium pestes, pro-
 figit; recte ac ordine uti tempore docet; aequabilitatem in
 secundis juxta ac adversis rebus servandam ostendit; Deum
 denique summum animae bonum ac caelestem patriam in
 oculis, et animo circumferri sollicitè suadet. Et ideo dignus,
 ut cujusque hominis Christiani nocturna ac diurna versetur
 manu.